



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **QUOD IPSUM** AEDES MANILENSIS ARCHIDIOECESIS
PRINCEPS BEATAE VIRGINIS
MARIAE SACRA SUB TITULO IMMACULATAE CONCEPTIONIS
AD HONOREM ATTOLLITUR BASILICA EQUE DIGNITATEM MINORIS Ad perpetuam rei memoriam. – Quod ipsum
Manilensis Archidioecesis sextum numero cathedralē templū «Immaculatae Conceptionis» nomine insignitum
praesentes ibidem Nos Februario mense perlustravimus atque singulari prorsus beatifications ritu Laurentii Ruiz martyris
volentes cohonestavimus, item eo tempore quasi vivae vocis oraculo dignissimum sane pronuntiavimus cui
perhonorificus adnecteretur Basilicae Minoris decor splendorque liturgicus novus. Cunctis itaque convenienter interea
investigates illis postulatis et confirmatis, quae tum Episcoporum Conferentiae in Philippinis Insulis tum Sacrae
Congregationi pro Sacramentis et Cultu Divino antes fuerant legitime quidem expedienda, iuvat maximopere iam his
Litteris usos Nostraeque plenitudine apostolicae potestatis sancire atque edicere ut quod memoravimus Deo dicatum
aedificium in cultum Beatae Virginis Mariae «Immaculatae Conceptionis» appellatione invocatae evehatur lege ad
gradum statumque Basilicae Minoris et ut universes proin iuribus augeatur ac privilegiis quae eodem nomine decoratis
aedibus congruunt. Iubemus autem ea omnia nihilo minus diligenter adservari quae secundum Decretum «De titulo
Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII foras datum adserventur oportet. Rebus quibusvis neutiquam
obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis anno MCMLXXXI,*
Pontificatus Nostri tertio. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1981 - Libreria
Editrice Vaticana